



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Prosæ Tomus ...**

**Conti, Giovanni Battista**

**Rom, 1704**

Prosa X. De Divo Marone.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

sanctissimæ humilitatis conjugio dota-  
le honestamentum accipiat, per se ipsa  
sordescit; at sanctissima humilitas vel  
sine sapientia spectabilis per se ipsa est,  
si verò sapientiæ conjugium accedat;  
propemodum divina: divinæ quippe  
magnitudinis in sapientia, & sapientiæ  
in magnitudine multum instar ille  
animus representat, qui demissè sa-  
piens, sapientèrque demissus per sa-  
pientiam suam sic sapit, ut non ea in-  
sipienter abutendo tumescat ad ina-  
nem jactantiam, sed eadem sapienter  
utendo grandescat ad solidam gloriam:  
quorum alterum tumor est egritudinis,  
alterum plenitudo salutis.

PROSA DECIMA.

*De Divo Marone.*

ORATIO.\*



Riscam laudare virtutem  
Auditores, idque suspice-  
re, quod olim in ipsis re-  
rum humanarum cunabu-  
lis, aut in ipsa divinæ religionis infantia

E 3

virili-

\* *Dicta fuit à quodam Colleg. Maronitarum A-  
lum.*

viriliter actum est, haud semper morsus  
invidiæ fuerit nova carpentis, vel roden-  
tis speciosa cōmendatione antiquiorū.  
Per sæpe mos est animi, qui nullo livore  
suffusis oculis virtutes, & merita sincerè  
introspectat, proniùs venerari Heroas il-  
los, quos veterum monumenta fastorū  
ostentant, non quòd tanti à veteribus  
mundi ætatibus homines, sed quòd ab  
hominibus tantis veteres mundi ætates  
nomen, & celebritatē suam hauserunt.  
Profectò tunc strenuæ in primis virtu-  
tis erat virtutem colere; cum illam su-  
perimminens, obsistensque circum vio-  
lencia Tyrannorum nusquam non  
premeret, quamvis & opprimeret nus-  
quam; dum starent videlicet cultores  
virtutis Tyrannis obstātibus firmiores:  
Jam nos in hoc ævi melioris auro reni-  
dentes, exultantesque sanctissimam  
virtutem, suppositis etiam instar basis  
regalibus sceptris, & coronis in sacra-  
ria, in basilicas, inque aras triumphali  
more deducimus, & erigimus: ipsi-  
que gentium humanarum Summates  
nihil sibi contingere sublimius putant,  
quàm si de se substratis Christiana vir-  
tus emineat, & sanctitas adoretur.

Fer.

Ferreis verò Æthnicorum temporibus ut respiraret sanctitas, erat elementis, ac luci subtrahenda; eratque humanda penitus in cavernis, & sepulchris, ut viveret. Hinc mihi Auditores ad beatissimum Maronitarum Parentem, ac Patronum Divum Maronem exorandum quædam laudationum immensitas aperitur: ea namque sanctitate pollebat Maro, quæ non obsequiorum lacte, & fomentis molliter adolescit in sinu tranquillitatis, sed quæ fortis ad pugnam venit, evenitque fortior ex pugna.

Collis extabat in Syria sublimis, tartaro tamen propior, quàm cælo, quippe diù dominatus Idololatrarum gentibus, atque ritibus, idest, fædo dæmonum, & idolorum imperio. Hoc invadere jugum inermis Monachus, nulloque externæ opis munimine innixus meditatur nihilominus Maro. Invadit, inque cæcam loci illius caliginem (superstitione procul amandata) infundit lumen religionis, ac fidei: mox fanum, quod idololatriæ thura turpaverant, lustrat ritè, illustratque importatis veri, unicusque Numinis agni-

tione vera, & cultu purissimo. Sic idolatrarum, & idolorum populum fortissimè debellat, ac deturbat Monachus unus, egenus, imbellis, ignobilis, ineruditus. Si sua virtuti laus est, quòd vitia fugit; quàm est illa laudanda, quæ etiam fugat? Si laudatur, quæ & inter vitia constat perenniter sibi; quantum honoris, & cultus illi tribuendum, quæ corâ constare nequeunt sibi, sed confestim de regno suo præcipitantur vitia! O virtutis sanctissimæ potestatem; o vim inexpugnabilem strenuissimæ sanctitatis.

Verùm Maronis nostri virtus non solum habuit animosum fecisse Maronem; posteris etiam suis nescio quo genii felicitis illapsu animos facit, ut integra & religione, & pietate vigeant inconculsi, nec ullo circumfidentis impietatis, aut erroris afflatu vel levissimè delibentur. Mirantur jam diù superstitione, atque vitium, quòd dum virus aspergere suum per longinquos terrarum tractus sibi facilè contigit; adhuc illibata, atque ad omnem virulentum saporem sapienter indocilis Maronis posteritas in iis, quæ ad fidem, ac mores  
spe.

spectant, semper, & ubique romanè sapiat. Hoc Maroni datū divinitus ut suo cum nomine quasi quodam cum flore fructum nobis virtutis suæ impertiret; hoc itidem datum & nobis, ut tanto cum nomine fructum quoque tantum caperemus.

A posteris ad Parentem regredior. Eo jam in colle illum intueor, ubi deprehensam nuper idololatriam devicit; suo velut in Capitolio coronatum. Fecit utique eo de Clivo Capitolium sibi Maronis virtus, ea tamen cum pompa, quæ longè nobiliorem veteris Romæ fastu, Christi humilitatem deceret. Magnum Imperatori suo templum, parvum tentorium sibi ex pellibus statuit Christi Domini servus, ac Miles, ut per æstus, & algores, & ætas sub pellibus hyemes in spem altioris Capitolii, immortaliumque triumphorum adhuc decertaret, & vinceret; atque insigni nobis documento monstraret, donec in terris vitam degimus, veteranos fieri nos milites posse, emeritos non posse; quando ipso in Capitolio locus est potius certaminis, quàm triumphii.

E 5

Nec

Nec porro iis sub pellibus Miles sanctissimus aut semper, aut sæpe morabatur: sed enim ratus, deliciosum nimis rudes, & asperas pelles sibi tegumentum fore, non nisi rarò sub illas recipiebat sese; atque ut apertiori certamine suum provocaret in corpore elementorum injurias, vitam sedulus agitabat sub dio. Declamet pro libito jactabundus Vates de Romanis militibus extinctis, atque inhumatis in bello: *cælo tegitur qui non habet urnam*; hic divini Imperatoris miles hic verè tegitur cælo, ac protegitur, qui delitatum se nimis, ac desidem putet, nisi profiliat ex pellibus, seque totum rigentibus auris, ac verberantibus nimbis exponat. Laxent domos, & atria usque in Urbium, & Provinciarum invidiam quicumque votorum immanitate suorum tumentes in angusto limite snæ mortalitatis exæstuant: luto tandem contineri illos necesse sit. Cælestes orbis fornicem Maroni cælestem præbent, auroque suo, quod non à sole gignitur, at sol ipse est, illum ipsum, quem ei fornicem præbent, illuminant.

Tam

Tam luminoso sub tecto quod vitæ genus victitaret magnanimus incola, paucis jam perstringam, accipite. Qui ne tectum quidem ex terris patiebatur animus, quàm cælestis vel in terris foret, nemo non statim intelligat. Totus cælo defixus, & concreti corporis haud memor nisi ad cruciatus, ac pœnas, hoc uno se ipsum amare videbatur, quòd sibi de se suppeteret, quem sapienter odisset.

Abscondi diù civitas ista non potuit supra monrem posita. Utile omnino sibi, nesciri quod vellet, utile, & aliis quod non posset. Quamobrem invitante per miraculorum voces cælo magna ad Maronem populorum frequentia confluit; tantæque rumore virtutis cum finitimæ gentes excitabantur, tum longius sepositæ nationes, ut omnes certatim celsissimum illud vitæ, morumque Christianorum exemplar suspicerent. Quot, quantique ad tantum exemplar instituti Discipuli, quot imitatores egregiè formati claruerunt, atque in nova exemplaria evaserunt, suos & ipsa imitatores subinde habitura!



At quandoquidem contrahenda oratio est, quæ in uberrimum frugis Evangelicæ messem, Maronis exemplis progenitam excurrere liberalius gestit; te demùm Sanctissimè Maro, te suprema oratione mea nunc appello, obtestorque: nos, hoc est, clientulos tuos quo semper cōsuevisti favore, præsidio, & patrociniò tuere; tuumque in nobis nomen morum tuorum soliditate, & vitali tanquam succo, & nervis, animisque valentibus instrue atque imple, informa, atque confirma; ut tuo nos in nomine tesseram, tuis in moribus arma gerentes, fortes te duce, felices te auspice milites omnem, qua circumfidemur, infidelitatem, & impietatem fortiter, feliciterque aut prohibeamus, aut cohibeamus. Quin etiam (perinde atque in natura, ejusque causarum congressu, & conflictu fieri intelligimus) ex infidelitatis, impietatis, aliorumque nobis adversantium obsidione vitiorum te desuper confovente nos, & vegetante, majora, ac vegetiora fiant in nobis obsequium fidei, studium pietatis, bonorum operum proventus, bonarum litterarum profectus, nec non  
om-

*Prosa Decima.* 109  
omnium honestamenta, atque incre-  
menta virtutum .

## PROSA UNDECIMA .

*De Beato Bernardo Ptolomæo .*

### ORATIO . \*



Obilissimus, quan-  
quam obscuræ jam  
pridem originis Ni-  
lus cum ad certam,  
& quasi dictam diem  
suis sese incrementis  
exuperat, alveique  
leges dediscit in Ægypti latifundia tran-  
sgrediens, ingentis Agricole partes ge-  
rit, exequitur munus, Auditores sa-  
pientissimi. Etenim pretiosè turpis, ac  
turbidus ea velut incursione, & beni-  
gno villarum ac prædiorum latrocinio  
felicem usquequaque limum suum de-  
ponit, ac triticum ipsum, humanæ  
scilicet vite nutrimentum liberalissimè  
lactat, atque nutrit. Hinc humani ge-  
neris altrix olim Ægyptus suam pro-  
vinciis, ac nationibus exuberantem  
copiam refundit, suaque ubera tan-  
quam

\* *Dicta fuit à quodam Colleg: Ptolom: Conuictore .*